DE ΠΡΊΝ PARTICULAE APUD SCRIPTORES AETATIS AUGUSTEAE PROSAICOS USU.

Dissertatio inauguralis philologica

quam consensu et auctoritate amplissimi philosophorum ordinis

ad summos in philosophia honores
in Universitate Friderica Guilelma Silesiaca

rite impetrandos

scripsit

Alexander Tschuschke.

Die IX. mensis Sextilis anni MCMXIII hora undecima

disseret doctorandus in Aula Leopoldina

De quattuor mundorum fabula.

Deinde erit promotio.

Trebnitziae
Typis Maretzke et Maertin
MCMXIII

De dissertatione probanda ad ordinem rettulit

Ricardus Foerster.

Examen rigorosum habitum est a. d. V. kal. Iun. MCMXIII.

Ricardo Foerster

s.

Magna esse varietate *πρίν* particulae usum inter omnes constat; quare iam multi viri docti operam navaverunt, ut huius particulae usum perquirerent, quorum commentationes partim comprehendit partim auxit Iosephus Sturm [1]), ut nunc plane iudicare possimus, qualis usus particulae ab Homero usque ad Platonem fuerit. De Aristotele egit Rudolfus Eucken [2]), de Theophrasto Guilelmus Müller [3]). Posterioris quoque aevi nonnulli scriptores tractati sunt: Polybii quinque libri priores a Siegmundo Brief [4]) — reliquorum locos breviter attulit Kallenbergius [5]) —, Flavius Iosephus a Carolo Raab [6]), Pausanias periegeta a Friederico Rogel [7]), Aelianus ab Arthuro Thouvenin [8]), Philostratus a Guilelmo Schmid [9]). Equidem, ut la-

[1]) Geschichtliche Entwicklung der Konstruktion mit *πρίν* (Schanz, Beiträge zur hist. Syntax d. gr. Spr. III, 1882).

[2]) De Aristotelis dicendi ratione. diss. Göttingen 1866 p. 5 sqq. Addo locos *Ἀθηναίων πολιτείας* Euckio nondum notae. Post verbum affirmativum infinitivus aoristi exstat 32, 1; 38, 3; 56, 2 praesentis 56, 1. Coniunctivus aoristi *ἄν* vocula addita invenitur 39, 5 et 60, 3 post negationem. Sermo *Ἀθηναίων πολιτείας* ab Attico non recedit.

[3]) De Theophrasti dicendi ratione diss. Göttingen 1874 p. 59. Addo charact. 6, 7 *οἱ δὲ ἀπίασι πρὶν ἀκοῦσαι αὐτοῦ.*

[4]) Die Coniunctionen bei Polybius. Wien-Hernals 1891/3.

[5]) Textkritik und Sprachgebrauch Diodors II p. 12. Berlin 1902 prgr. des Friedr. Werderschen Gymnas.

[6]) De Flavii Iosephi elocutione diss. Erlangen 1890 p. 40—48. Cf. W. Schmidt, de Fl. Ios. elocutione observationes criticae in annal. Fleckeis. suppl. 20, 395.

[7]) De usu coniunctionum temporalium qualis apud Pausaniam perigetam fuerit. diss. Breslau 1907.

[8]) Untersuchungen über den Modusgebrauch bei Aelian. Philolog. 54, 602—11 (deutsch von Paul Bracher).

[9]) Der Attizismus in seinen Hauptvertretern von Dionysius von Halicarnass bis auf den zweiten Philostrat. 1887 ff. IV 85.

cuna suppleatur, mihi proposui perquirere, quemadmodum res se habeat apud scriptores prosaicos aetatis Augusteae scilicet apud Philodemum Epicureum, Diodorum Siculum, Dionysium Halicarnassensem, Strabonem, Philonem Alexandrinum, auctorem libelli *περὶ ὕψους*[1], quatenus sermo eorum et conveniat et recedat a classico quem vocamus. Cum rem tractare coepissem, constitui Polybianam elocutionem denuo perquirere, quam accuratissime novisse plurimum interest, quoniam in *κοινῇ* dialecto, qua ille usus est, multas rerum grammaticarum commutationes factas esse constat, quare iam Hultschius[2]) postulavit, ut quaestio grammatica, si ad sermonem aevi posterioris spectaret, a Polybio initium caperet. Praeterea quattuor locos hausi ex Ephoro, Theopompo, Hellenicis Oxyrhynchiis, Agatharchide.

Pauca addam de forma particulae[3]). Constat scriptores Atticos perpaucis locis exceptis *πρίν* formam solam adhibuisse, Ionicos autem *πρίν* et *πρὶν ἤ* formas. Ex his *πρὶν ἤ* translata est in *κοινήν*. Apud scriptores aevi posterioris ambas invenimus formas.

Pars prior.

1. De Ephoro.

Strabo 6, 279 *Ἔφορος δ᾽ οὕτω λέγει περὶ τῆς κτίσεως· ἐπολέμουν Λακεδαιμόνιοι Μεσσηνίοις ἀποκτείνασι τὸν βασιλέα Τήλεκλον εἰς Μεσσήνην ἀφικόμενον ἐπὶ θυσίαν ὀμόσαντες μὴ πρότερον ἐπανήξειν οἴκαδε πρὶν ἢ Μεσσήνην ἀνελεῖν ἢ πάντας ἀποθανεῖν.* Apertum est constructionem a *πρίν* pendentem indicare, qua condicione actio enuntiationis primariae — domum reditio — fiat. Tali loco priore tempore ponebatur coniunctivus et in oratione obliqua optativus[4]). Ephorus ergo primus quem novimus ab hoc usu recessit. At dixerit quispiam hic Strabonem ut Plutarchum in loco ex Platone hausto[5]) verba Ephori pro-

---

[1]) Nusquam *πρίν* adhibuit.

[2]) Quaestiones Polybianae p. 1. Zwickau 1859.

[3]) V. Rogel p. 4.

[4]) Sturm 151—152.

[5]) Kallenberg l. l. p. 15. Plat., Tim. 53 a *πρὶν καὶ τὸ πᾶν ἐξ αὐτῶν διακοσμηθὲν γενέσθαι.* Plut. Moral. 1016 D *πρὶν ἢ τὸ πᾶν ὑπ᾽ αὐτῶν διακ. γεν.*

pria syntaxi ornasse. Non ita res se habet: Strabo ad rationem condicionalem significandam omnino coniunctivo usus est uno loco excepto, quo Megasthenis verba oratione obliqua repetens infinitivum adhibuit: 15, 1, 37: *οὐ πρότερον μεθιέντας τὸ δηχθὲν πρὶν εἰς τοὺς ῥώθωνας ὕδωρ καταχυθῆναι.*

2. de Theopompo.

frg. 200 M. = Athen. 3, 85 a *ἐπειδὴ οὖν πάντες ἔγνωσαν τὴν τοῦ φαρμάκου ταύτην φιλοτησίαν, οὐ προήεσαν τῶν οἰκιῶν πρὶν φαγεῖν πήγανον* quo de loco non secus atque de priore iudico.

3. de Hellenicis Oxyrhynchiis.

15, 5 (ed Ed. Meyer) *εἰς δὲ τὴν ἐπιοῦσαν πρὶν ἡμέραν γενέσθαι λαβὼν παρὰ τοῦ Λεωνύμου τῶν τε Καρῶν συχνοὺς καὶ τοὺς Ἕλληνας ἅπαντας ἐξήγαγεν αὐτοὺς ἐκ τῆς πόλεως* quo in loco non est cur diutius versemur, cum nihil praebeat novi neque quicquam conferat ad ambiguitatem tollendam utrum Ephoro an Theopompo an Cratippo tribuendus sit libellus.

4. De Agatharchide.

de mari Erythraeo (Geogr. gr. min. ed. Mueller I 192) *πρῶτον μὲν γὰρ οὐ καθάπερ παρ' ἡμῖν φῶς ἀνήλιον ἕωθεν ὁρῶμεν ἐπὶ χρόνον οὐκ ὀλίγον, εἶτα τὴν ἀνατολήν· ἀλλὰ νυκτὸς σκοτίας ὑπαρχούσης ἐξαίφνης ἀνέλαμψεν ἥλιος, ἡμέρα δ' οὔποτε γίνεται ἐκεῖσε πρὶν τὸν ἥλιον ἰδεῖν.* Huic loco ratio temporalis inest, quam ad significandam antea quoque post negationem infinitivum poni licuit.

5. De Polybio.

1. Polybius[1]) *πρὶν* (*ἤ*) particulam vicies sexies adhibuit. Semel pendet a particula indicativus aoristi, bis infinitivus praesentis, semel perfecti, vicies bis aoristi. *πρίν* forma exstat quattuor locis, *πρὶν ἤ* viginti duobus. Sexies invenitur formula *πρότερον — πρίν* (10, 32, 10; 12, 6 b, 9; 14, 2, 6; 29, 27, 3; 30, 23, 1; 38, 18, 6;) Semel „ante“ in enuntiatione primaria

[1]) Omnia quae tradita sunt, perquisivi.

verbo *φθάνειν* expressum est (1, 66, 3), bis praepositione *πρό* cum verbo coniuncta (9, 43, 2; 12, 5, 7).

2. Unico loco Polybius a *πρίν* indicativum suspensum fecit; coniunctivum et optativum sprevit, quae res non mira est, praesertim cum hic modus in *κοινῇ διαλέκτῳ* paulatim evanuerit[1]). 38, 18, 6 *οὐ πρότερον ἔληξε, πρὶν ἢ διέφθειρε τὰ μειράκια καὶ τὸν Φιλῖνον.* Sententia subordinata docet, quod usque ad momentum temporis actio primaria duret; *πρίν* hic particulae *ἕως* significatione simillima est. Hic locus cum regula classica convenit. Formulam *οὐ πρότερον παύεσθαι* (sive *λήγειν*) *πρίν* praecipue Xenophon, Plato, oratores in deliciis habuerunt[2]).

3. Bis infinitivus praesentis exstat, 4, 85, 6 et 11, 25, 2. De loco priore infra agemus. 11, 25, 2 Polybius comparationem affert: *λέγω δ' οἷον ψύχους, καύματος, κόπου, τραυμάτων καὶ πρὶν γίνεσθαι φυλάξασθαι δυνατὸν καὶ γενομέναις εὐμαρὲς βοηθῆσαι, τὰ δ' ἐξ αὐτῶν σωμάτων γινόμενα φύματα καὶ δυσχερὲς μὲν προιδέσθαι, δυσχερὲς δὲ γενομένοις βοηθεῖν, τὸν αὐτὸν δὴ τρόπον καὶ περὶ πολιτείας καὶ περὶ στρατοπέδων διαληπτέον.* Significatur rem iterari, ut in sententia proverbiali. Tali loco classici quoque praesentis infinitivum ponebant, quorum regulam Polybius sequitur[3]). 9, 43, 2 praebetur infinitivus perfecti. Euphrates describitur: *προεκδαπανᾶται πρὶν ἐκβολὴν εἰς θάλατταν πεποιῆσθαι.* Infinitivus *πεποιῆσθαι* sane vim et significationem praesentis *ποιεῖσθαι* habet et explicat actionem quae durat. Talem in modum iam a classicis adhibitus est, ut Polybius nihil novi afferat[4]).

4. Decies quater enuntiatio primaria caret negatione: praeter locos quos ante laudavi: 1, 20, 12; 1, 66, 3; 4, 85, 5; 5, 60, 9; 5, 74, 1; 9, 43, 2; 10, 32, 10; 10, 45, 4; 11, 25, 2; 12, 5, 7; 16, 22, 4; 24, 11, 4; 28, 6, 7; 33, 10, 5; 36, 9, 12; [frgm. 100] quibus locis infinitivus aoristi exstat. Hic nil offensionis est, auctor regulam usitatam sequitur: a *πρίν* particula post verbum affirmativum pendet infinitivus, ut merum temporis indicium detur. Neque vero paucis locis illa regula violatur. Novies Polybius *πρίν* post negationem adhibuit, quod

---

[1]) Cf. Thumb, die griechische Sprache im Zeitalter des Hellenismus 1901.
[2]) Cf. Sturm p. 154.
[3]) Sturm p. 151.
[4]) Ibidem.

classici permiserunt, si constructio, quae a *πρίν* pendet, meram temporis determinationem continet (Herodotus ter = 6,8 %, Thucydides quater = 6,6 %, Xenophon sexies = 5,4 %, Plato pecies sexies = 13,8 %; Oratores vicies ter = 12, 9 %).

Videamus quomodo res se habeat in scriptis Polybii. 4, 85, 6 *διὸ καὶ νῦν ἠξίου μηδὲν παραλιπεῖν τῶν δυνατῶν εἰς τὸ γνῶναι τὴν ἀλήθειαν πρὶν ἢ πρὸς τοὺς Ἀχαιοὺς ἀνακαλύπτειν τι τούτων*, qui locus ita explicandus est: primum rem veram intellegere voluit, tum Achaeos certiores facere; nam *μηδὲν παραλιπεῖν* = *nihil praetermittere* formula rhetorica est neque aliud quicquam significat nisi *summopere studere*. Ratio quae inter enuntiationes intercedit, temporalis est. Neque igitur violatur regula, quam apud classicos invenimus. Praeterea locus insignis est, quod infinitivus praesentis adhibetur, quo antea actio durans sive iterata significabatur. Hic vero agitur de ingressu actionis, ad quem significandum aliis locis aoristus adhibetur.

Sequuntur tres loci simillimi: 6, 49, 2 *ἐνόρκους σφᾶς ἐποίησαν μὴ πρόσθεν λύσειν τὴν πολιορκίαν πρὶν ἢ κατὰ κράτος ἑλεῖν τὴν Μεσσήνην*. 12, 6b, 9 *ὤμοσαν οἱ Λακεδαιμόνιοι μὴ πρότερον εἰς τὴν οἰκείαν ἐπανήξειν πρὶν ἢ τὴν Μεσσήνην κατὰ κράτος ἑλεῖν*. 30, 23, 1 *συνθήκας ἐποίησαν . . . μὴ πρότερον λύσειν τὸν πόλεμον πρὶν ἢ κατὰ κράτος ἑλεῖν τὴν Ῥαῦκον*. Agitur de foedere vel iure iurando. Apertum est actionem enuntiationis primariae fieri non posse nisi secundaria antea perfecta est. Quam ut rationem significarent, auctores classici coniunctivum a *πρίν* suspensum fecerunt, ut exemplum afferam: Plat. Phaed. 89 c *ἔνορκον ἂν ποιησαίμην μὴ πρότερον κομήσειν, πρὶν ἂν νικήσω*. Nunc vero his locis in enuntiatione primaria praeteritum exstat. Oratio est obliqua. Tum Xenophon, Plato, oratores pro coniunctivo optativum adhibuerunt. Cf. Plat. rep. 402 b *προυθυμούμεθα διαγιγνώσκειν ὡς οὐ πρότερον ἐσόμενοι γραμματικοί, πρὶν οὕτως ἔχοιμεν*. Intellegimus cur Polybius infinitivum adhibuerit: optativus in *κοινῇ* dialecto inusitatus est. Apud Polybium in quinque prioribus libris optativus 216ies invenitur[1]) per-

[1]) Karl Reik, der Optativ bei Polybius und Philo von Alexandria, 1907 de *πρίν* particula p. 48: „Nach der Konjunktion *πρίν* findet sich im Vergangenheitszusammenhang auch bei negativem Hauptsatz nur der Infinitiv (statt des Optativs)".

multo rarius quam apud scriptores Atticos. Quare non mirandum est in *πρίν* particulae usu optativum deesse. Iam vidimus ab usu classico Ephorum recessisse, quem Polybius secutus est. Neque aliter res se habet his locis: 14, 2, 6 *προσενετείλατο . . . μὴ πρότερον ὡς αὐτὸν ἀπιέναι πρὶν ἢ λαβεῖν ἀπόκρισιν ὑπὲρ τούτων* et 14, 2, 7 *ἐκ τοῦ φάναι τοὺς πρέσβεις μὴ πρότερον ἀπαλλαγήσεσθαι πρὶν ἢ λαβεῖν παρ᾽ αὐτοῦ τὰς ἀποκρίσεις.* 4, 31, 1 *Μεσσήνιοι δὲ πρὸς αὐτοὺς ἀπεκρίθησαν ὅτι τῆς Φιγαλείας κειμένης ἐπὶ τοῖς ὅροις αὐτῶν καὶ ταττομένης ὑπ᾽ Αἰτωλοὺς οὐκ ἂν ἐπιδέξαιντο τὸν πόλεμον πρὶν ἢ ταύτην ἀπ᾽ Αἰτωλῶν ἀποσπασθῆναι τὴν πόλιν*[1]). 30, 29, 4 Polybius narrat comites Andronidae et Callicratis urbanis invisos fuisse, quare *οὐδεὶς ἐτόλμα τῶν ἐφεστώτων ἔτι καθιέναι πρὶν ἢ τὸν βαλανείτην τὸ μὲν ὑπάρχον ὕδωρ ἀφεῖναι πᾶν, ἕτερον δὲ καθαρὸν ἐγχέαι* i. e. nemo praefectorum, si quis illorum lautus erat, in balneum desilire voluit, nisi balneator aquam exhausisset et puram infudisset. Multum valet 29, 27, 3 *τοῦτ᾽ ἐκέλευσε πρῶτον ἀναγνῶναι τὸν Ἀντίοχον, ὡς μὲν ἐμοὶ δοκεῖ, μὴ πρότερον ἀξιώσας τὸ τῆς φιλίας σύνθημα ποιεῖν πρὶν ἢ τὴν προαίρεσιν ἐπιγνῶναι τοῦ δεξιουμένου πότερον φίλιος ἢ πολέμιός ἐστιν.* Huic constructioni rationem condicionalem inesse probatur loco Diodori Siculi, qui 31, 2 Polybii locum imitatus est. Ille sane ut rationem condicionalem indicaret, coniunctivum adhibuit: *τοῦτο δὲ ἔδοξε ποιεῖν ὅπως μὴ πρότερον ὡς φίλον δεξιώσηται, πρὶν ἢ διὰ τῆς προαιρέσεως γνωσθῇ κτλ.*

Uno loco elocutio Polybii cum classica in infinitivo post negationem adhibito convenit, octo reliquis infinitivus vim coniunctivi vel optativi potius usurpavit.

5. Videmus Polybium et *πρίν* et *πρὶν ἤ* forma uti. *πρίν* bis ante vocalem (9, 43, 2; frgm. 100), bis ante consonantem invenitur (11, 25, 2 *πρὶν γίνεσθαι* et 16, 22, 4 *πρὶν μὲν οὖν*). *πρὶν ἤ* forma semper — vicies bis — ante consonantem posita est ita ut hiatus vitetur; legibus enim hiatus Polybius severe sese obstrinxit[2]). Praeterea *πρὶν ἤ* formam in deliciis habuit (85 %).

[1]) Hoc loco classici optativum posuissent assimilatione modorum commoti, quod ante *οὐκ ἂν ἐπιδέξαιντο* exstat. Cf. Sturm p. 153.

[2]) Cf. Hultsch, Philologus 14, 288. Kaelker, de elocutione Polybiana

6. Eadem atque *πρίν* significatione in libris Polybii exstat *πρότερον – ἤ*, quae particula semper cum infinitivo aoristi coniuncta est (1, 58, 6; 2, 35, 6; 6, 23, 11; 15, 18, 1; 13, 1 a, 1 post negationem). Semel haec particula cum indicativo futuri coniuncta idem exprimit atque *μᾶλλον*: 38, 7, 11 *διότι μὴ δυνάμενοι τυχεῖν τούτου καταστραφήσονται πρότερον ἢ παραχωρήσουσι ταύτης*[1].

7. Quid novi affertur syntaxi Polybiana in *πρίν* particulae usu? Coniunctivus et optativus evanuerunt, infinitivus post negationem etiam tum adhibetur, si ratio est condicionalis. *πρὶν ἤ* forma multo saepius invenitur quam *πρίν* sola.

Et nunc videamus, quomodo res se habeat aetate posteriore.

Pars altera.

1. De Philodemo Epicureo[2].

1. In libris Philodemi *πρίν* particula septies inveni-

Stud. Lips. 3, 217 ff. Büttner-Wobst, annal. Fleckeisen. 1884, 111 et 1890, 671. Siegmund Brief, Wie beeinflusst die Vermeidung des Hiatus den Stil des Polybius? Ungarisch-Hradisch 1907 progr.

[1]) Kallenberg l. l. p. 13 hanc significationem praeterire videtur.

[2]) Perquisivi

Volumina rhetorica ed Sudhaus 1892—96
De musica ed. Kemke 1884
De ira ed. Gomperz 1864
περὶ σημείων ed Gomperz 1865 (Hercul. Stud I) cf. Philippson Mus. Rhen. 64, 1 sqq.
π. εὐσεβείας ed. Gomperz 1866 (Herc. Stud. II)
π. οἰκονομίας ed. Iensen 1906
π. κακιῶν „ „ 1911
π. τοῦ καθ' Ὅμηρον ἀγαθοῦ βασιλέως ed Olivieri 1909
π. θανάτου ed. S. Mekler S. B. Wien. Akad. 110, 305
Indicem Stoicorum ed. Comparetti. Rivista di philol. 1875
Academicorum philosophorum indicem Hercul. ed. Mekler 1902
π. ποιημάτων II ed. Hausrath. Jhrbch. f. Kl. Phil. Suppl. 17, 213
„ „ V ed. Dübner. Paris 1849
„ „ IV Volum. Hercul. II² 148—158
π. ἠθῶν καὶ βίων Vol. Herc. V 1835 et V 2. 1843
π. τῆς τῶν θεῶν διαγωγῆς ibid. VI 1839.
π. χάριτος ibid. X 1850
π. κολακείας ibid. I² 1—13. 75—92. VIII² 1—7. 138—141. Cf. Ihm. Mus. Rhen. 51, 315.

tur[1]) semper cum infinitivo sive aoristi (quinquies) sive praesentis (bis) coniuncta. Praeterea bis adverbii loco exstat: semel in epigr. 20, 1 K., semel π. σημ. XXI 15, 16 auctore Philippsonio ἄνθρωποί τ' ἄγρω(το)ι ἔ(φυ)ν π(ρίν · π)ρος l. l. p. 29.

2. Infinitivum praesentis reperimus his locis:

de bono rege frgm. 14, 11

ἐνίοις ποιοῦσιν . . . . οὐ γὰρ ‖ πα |
τοῖς ἐναντίοις . . . . . ν ταδ.
ἄνδρα γίνεσθαι πρὶν ἢ καὶ
κατεγχειρεῖν των . . των

ibid. col. 18

. . . . ενο . . . . ει
. . . . α . . . . . εο
. . . πρὶ[ν κ]αλῶς αὐτὸ ν[ο
εῖν] φεύγων οὐδ' εἰς τὸ
ἄστυ] ἀλλὰ περὶ τὸ τεῖ-
χος ἔξ]ω παρατρέπεται

Cum sententia primaria mutilata sit, de loco priore nihil certi potest statui. Loco altero de Hectore agitur Achillem fugiente, ut elucet ex fine columnae XVII ὁ δ' Ἕκτωρ. Hic locus spectat ad Homeri X 136 Ἕκτορα δ' ὡς ἐνόησεν, ἕλεν τρόμος οὐδ' ἄρ' ἔτ' ἔτλη αὖθι μένειν, ὀπίσω δὲ πύλας λίπε, βῆ δὲ φοβηθείς κτε. Infinitivus νοεῖν indicat actionem durantem, cum idem fere sit atque εἰδέναι.

Infinitivus aoristi exstat his locis: de ira 35, 20 ἐπιτίμησις πυκνὴ ἢ ἅπασι τοῖς γνωρίμοις ἢ τοῖς πλείστοις καὶ ἐπιτεταμένη, πολλάκις δὲ καὶ λοιδορητικὴ ψυχῆς εὐκινησία καὶ πρὶν ἐνθυμηθῆναι συντετελεσμένως τὴν αἰτίαν ἐμπίπτων. Ind. academicorum col. 27, 14 ἀλλ' ἔσχ' ἄελπτον τέλος ὁ Τηλεκλῆς πρὶν ἢ βῆναι . . . . de rhetorica IV 6 a οὐδ' οὕτως μὲν οὖν εἶπεν ἀλλὰ πρὶν ἰσχῦσαι τὰς ῥητορικὰς διατριβάς. de morte 37, 8 . . πόλιν, καὶ ἀσχημόνως τε λυπούμενος πρίν, εἰ δυνατὸν εἴη, ταῦτ'

π. τῶν Στωικῶν ibid. VIII. 1844 et Croenert, Wesselys Studien VI 54. 1906
π. Ἐπικούρου πραγματεῖαι V. H. I² 107—131
π. Ἐπικούρου ed. Bassi, Miscell. Ceriani, Milano 1910
π. ὁμιλίας V. H. V² 176—181
π. πλούτου ibid. III² 72—109
πρὸς τοὺς . . . ibid. I² 132—161
π. θεῶν α' ed. Scott, fragmenta Hercul. p. 207—239. 1885
Epigrammata ed. Kaibel, ind. lect. Gryph. 1885.

[1]) περὶ ποιημάτων V 37, 14 ὃ καὶ πρὶν Θέογνιν γεγονέναι κατείχομεν est proverbium quod eisdem verbis affert Plutarchus Moral. 777 C. Cf. Th. Gomperz, Zeitschr. für österr. Gymnas. 1865, 721.

ἀναμαχέσασθαι καὶ καθ' ἕκαστον χρόνον. εἰ τοῦτ' ἐπιδὼν γενόμενον ἀπέθνῃσκεν. „οὐκ ἂν ἐπεστρεφόμην τῆς τελευτῆς" *λέγων* verbum enuntiationis primariae deest fine columnae antecedentis mutilato. Siegofredus Mekler[1]) cum Theodoro Gomperz[2]) pro *πρὶν εἰ κτλ.* legere maluit *πρὶν ἤ*. Riccardus Foerster hanc mecum communicavit coniecturam: *πρίν, ᾗ δυνατὸν εἴη, ταῦτ' ἀναμαχ.* = *quatenus fieri possit. δυνατόν* persaepe cum *ᾗ* coniungitur: cf. Xenoph. Anab. 1, 3, 15; 6, 5, 13 alibique. Cui sententiae accedo. Neque enim verisimile est Philodemum *πρίν* cum optativo coniunxisse, quamquam in scriptis eius optativus denuo florere coepit[3]), cum talem constructionem illa aetate nusquam inveniamus neque apud Diodorum neque apud Dionysium.

Uno loco enuntiatio primaria negationem continet, ubi ratio temporalis est

de rhetorica IV 4 a *τὰς δὲ τέχνας*
ταύτας οἱ διαπονή-
σαντες . α . . . . . ι κατα-
γελάστως . . τοῖς λόγοις δὲ πλεῖον ἐμε . . .
τῶν πλὴν μελημάτων μηδὲν μη
δ' ἐπιβεβλέφθαι πρὶν ἰσχῦ-
σαι τὰς ῥητορικὰς διατριβάς.

3. *πρὶν* et *πρὶν ἤ* formas Philodemus eodem modo disiunxit atque Polybius. *πρὶν ἤ* nunquam ante vocem a vocali incipientem posuit, nam hiatum vitare studuit eadem fere severitate atque Isocrates[4]).

4. Videmus ergo Philodemum *πρίν* perraro adhibuisse. Modos et infinitivum perfecti omnino sprevit. Nihil novavit[5]).

---

[1]) In edit.

[2]) Hermes 12, 223.

[3]) Cf. E Schroefel, de optativi apud Dionysium Halicarnaseum usu diss. Breslau 1909 p 4 et passim Glatzel, de optativi apud Philodemum usu diss. Breslau 1913 p. 3 sqq.

[4]) Strathmann, de hiatus fuga quam invenimus apud Philodemum Epicureum. progr. Viersen 1892

[5]) In quaestionem non vocavi *περὶ θεῶν α'* 20, 13 Scott p 228, *πρὸς τὸ δρᾶν?* . *καὶ πρὶν ἐπ* . . et *βίος Σωκράτους* Croenert M. Rh 57, 298, 15 dext. . *πρίν*, ubi textus admodum incertus est

2. De Diodoro Siculo.

1. Diodorus Siculus πρίν particula vicies octies usus est ita ut eam tribus locis cum coniunctivo, quattuor cum infinitivo praesentis, viginti uno cum infinitivo aoristi coniunxerit. In enuntiatione primaria bis vocula πρότερον praemissa est (1, 64, 7; 31, 2), semel verbum φθάνω (10, 34, 13).

2. Vertamus nos ad coniunctivum qui bis invenitur: 1, 77, 9 (ἔδει) κρίνοντες . . . τῶν δὲ γυναικῶν καταδικασθεισῶν θανάτῳ τὰς ἐγκύους μὴ θανατοῦσθαι, πρὶν ἂν τέκωσι. Sequitur 31, 2 qui locus insignis est, quod Diodorus, ut supra breviter diximus, (p. 10) Polybium imitatus est non solum rebus sed etiam verbo tenus, quod ex iuxtapositione intellegas

Polybius 29, 27	Diodorus 31, 2
Ποπίλιος ὁ τῶν Ῥωμαίων στρατηγὸς τοῦ βασιλέως πόρρωθεν ἀσπαζομένου διὰ τῆς φωνῆς καὶ τὴν δεξιὰν προτείνοντος πρόχειρον ἔχων τὸ δελτάριον ἐν ᾧ τὸ τῆς συγκλήτου δόγμα κατετέτακτο, προὔτεινεν αὐτῷ καὶ τοῦτ᾽ ἐκέλευσε πρῶτον ἀναγνῶναι. τὸν Ἀντίοχον, ὡς μὲν ἐμοὶ δοκεῖ, μὴ πρότερον ἀξιώσας τὸ τῆς φιλίας σύνθημα ποιεῖν πρὶν ἢ τὴν προαίρεσιν ἐπιγνῶναι τοῦ δεξιουμένου πότερα φίλιος ἢ πολέμιός ἐστιν. κτε.	ἀπαντήσασι τὸν Ἀντίοχον τοῖς Ῥωμαίοις κἀκείνου μακρόθεν ἅμα τῇ φωνῇ ἀσπαζομένου καὶ τὴν δεξιὰν ἐκτείνοντος ὁ μὲν Ποπίλιος πρόχειρον ἔχων τὸ βιβλίον ἐν ᾧ τὸ τῆς συγκλήτου δόγμα κατεκεχώριστο, προέτεινε καὶ αὐτὸν ἐκέλευσεν ἀναγνῶναι τὸν Ἀντίοχον. τοῦτο δὲ ἔδοξε ποιεῖν ὅπως μὴ πρότερον ὡς φίλον δεξιώσηται, πρὶν ἢ διὰ τῆς προαιρέσεως γνωσθῇ, πότερον πολέμιός ἐστιν ἢ φίλος. κτε.

Verbum enuntiationis primariae his locis pendet ab indicativo praeteriti. Talibus locis Plato et Xenophon et oratores optativum a πρίν pendentem facere maluerunt[1]). Sed cum hic modus apud Diodorum nondum valde floreat[2]), non miramur quod ut Herodotus et Thucydides coniunctivum posuit.

---

[1]) Sturm l. l. 153.

[2]) R. Kapff, der Gebrauch des Optativs bei Diodorus Siculus. diss. Tübingen 1903 praecipue p. 61 . . . „stimmen hier (Polybius und Diodor) darin miteinander überein, dass in Temporalsätzen, die im obliquen Satzgefüge stehen, beide den Optativus obliquus ganz vermeiden“.

Restat ut agamus de 10, 5, 1, ubi traditum est: *οἱ Πυθαγόρειοι καὶ τῆς μνήμης μεγίστην γυμνασίαν ἐποιοῦντο, τοιοῦτόν τινα τρόπον τῆς μελέτης ὑποστησάμενοι· οὐ πρότερον ἐκ τῆς εὐνῆς ἠγείροντο, πρὶν ἂν πρὸς ἑαυτοὺς ἀνθομολογήσαντο τὰ κατὰ τὴν προτέραν ἡμέραν αὐτοῖς πραχθέντα.* Kallenbergius[1]) hunc locum „singularem" laudat nullo iudicio addito. Quaestio habenda est. Agitur de more quodam Pythagoreorum, quem illi ut legem sibi imposuere. Quare puto rationem quae inter enuntiationes intercedit, condicionalem esse et sic scribendum esse: *πρὶν ἂν πρὸς ἑαυτοὺς ἀνθομολογήσωνται κτλ.* Nam facilius sane erat pro coniunctivo indicativum ponere quam *ἂν* particulam inserere, si indicativus exstitisset.

3. Plurimis sane locis Diodorus infinitivum aoristi adhibuit: 1, 39, 9; 64, 7; 2, 21, 6; 9, 20, 1; 10, 34, 13; 11, 9, 3; 13, 10, 1; 14, 40, 2; 52, 1; 59, 5; 70, 6; 19, 13, 5; 15, 6; 74, 3; 103, 1; 20, 9, 2; 31, 9, 1; 33, 24; et post negationem 3, 48, 3; 19, 38, 1; 20, 109, 5. Primo loco 1, 39, 9 constructio quae a *πρίν* pendet non modo quando sed etiam ubi aliquid fiat indicat: *ὁ Νεῖλος πλήρωσιν ἔχει πρὶν ἢ ψαῦσαι τῆς Αἰγύπτου*[2]).

Quater exstat infinitivus praesentis, qui variae significationis est. 1, 92, 4 *οὐ μὴν ἀλλὰ τῆς βάρεως εἰς τὴν λίμνην καθελκυσθείσης πρὶν ἢ τὴν λάρνακα τὴν τὸν νεκρὸν ἔχουσαν εἰς ταύτην τίθεσθαι, τῷ βουλομένῳ κατηγορεῖν ὁ νόμος ἐξουσίαν δίδωσιν.* Diodorus morem Aegyptiorum describit, quamobrem recte infinitivum praesentis ponit, ut rem iterari significet. 19, 34, 6 *ἡ μὲν γὰρ δύναμις πᾶσα πριν ἅπτεσθαι τὴν πυρὰν τρὶς περιῆλθεν.* Hanc constructionem eadem atque loco ante laudato esse significatione iam *πᾶσα* adiectivo probatur. 19, 18, 1 *ἠναγκάζοντο στρατοπεδεύεσθαι περὶ τὸν ποταμὸν πρὶν ἥλιον ἀνατέλλειν.* Hic infinitivus actionem ingressivam indicat. Talibus locis aoristus adhiberi solet[3]), sed saepe ab hac regula receditur ut apud Pausaniam 4, 6, 1; 6, 21, 6; 7, 16, 2[4]) et apud Philonem et Dionysium, de quibus infra. Aoristum Diodorus posuit 14, 70, 6 *πρὶν ἥλιον ἀνατεῖλαι* . . .

[1]) L. l. p. 13.

[2]) Idem observatur apud Pausaniam V. Rogel p. 19.

[3]) Sturm p. 42 et 150.

[4]) Rogel p. 19.

φρίκη κατεῖχε τὰ σώματα. Aeque ingressus actionis infinitivo praesentis indicatur 13, 79, 8 *πρὶν ἢ δὲ τὰ στρατόπεδα διαβιβάζειν καταλέξαντες τῶν πολιτῶν τινας καὶ τῶν ἄλλων Λιβύων τοὺς βουλομένους ἔκτισαν ἐν τῇ Σικελίᾳ πρὸς αὐτοῖς τοῖς θερμοῖς ὕδασι πόλιν ὀνομάσαντες Θέρμα.*

4. Enuntiatio primaria tribus locis negationem continet. 19, 38, 1 *διέγνωσαν ἀναχωρεῖν φοβούμενοι μὴ καταληφθῶσιν ὑπὸ τῶν πολεμίων πρὶν ἢ συνελθεῖν πανταχόθεν τὴν συμμαχοῦσαν δύναμιν.* Apertum est hoc loco constructionem quae a *πρίν* pendet nil nisi indicium temporis dare: timebant ne opprimerentur ante sociorum adventum. Aeque res se habet 20, 109, 5 *σφόδρα γὰρ εὐλαβεῖτο μὴ ἀναγκασθῇ παρατάξει κρῖναι ὅλον τὸν πόλεμον πρὶν ἢ συνελθεῖν εἰς ταὐτὸν τὴν ἐξ Ἑλλάδος δύναμιν.* Ratio sane temporalis est. Negatio *μή* a verbo metuendi pendet. Sequitur 3, 48, 3. Mare rubrum et Arabia describuntur. Fons Diodori est Agatharchidis Cnidii de mari Erythraeo liber quintus [1]. Agatharchidis locum supra iam laudavimus.

Agatharchides	Diodorus
τοῦ δὲ ἡλίου τὴν ἔκφασιν ἐν τοῖς ἐπέκεινα Πτολεμαίδος ἰδίαν λέγουσιν καὶ παρηλλαγμένην. πρῶτον μὲν γὰρ οὐ καθάπερ παρ' ἡμῖν φῶς ἀνήλιον ἕωθεν ὁρῶμεν ἐπὶ χρόνον οὐκ ὀλίγον, εἶτα τὴν ἀνατολήν· ἀλλὰ νυκτὸς σκοτίας ὑπαρχούσης, ἐξαίφνης ἀνέλαμψεν ἥλιος. ἡμέρα δ' οὔποτε γίνεται ἐκεῖσε πρὶν τὸν ἥλιον ἰδεῖν	*τὸν δ' ἥλιον οὐχ ὥσπερ παρ' ἡμῖν βραχὺ πρὸ τῆς ἰδίας ἀνατολῆς προαποστέλλειν τὸ φῶς, ἀλλ' ἔτι νυκτὸς οὔσης σκοταίον παραδόξως ἄφνω φανέντα ἐκλάμπειν. διὸ καὶ μηδέποθ' ἡμέραν ἐν ἐκείνοις τοῖς τόποις γίνεσθαι πρὶν ὁραθῆναι τὸν ἥλιον.*

Hoc loco Diodorus syntaxin eius, quem imitatur, sequitur. Ratio ut antea temporalis est.

Semel *πρίν* particula codicibus tradita est, ubi textus nondum satis restitutus est. 25, 10, 2 *Ἰνδόρτης δὲ πάλιν ἀθροίσας*

[1]) Cf. G. J. Schneider, quibus ex fontibus petiverit Diodorus libr. III capp. 1—48 (Symbolae Ioachimicae I 219 Berlin 1880). Nomen Agatharchidis exstat in fine capitis 48.

πεντεκαισμυρίους καὶ πρὶν πολέμου τραπεὶς καὶ φεύγων εἰς λόφον τινὰ καὶ πολιορκηθεὶς ὑπ' Ἀμίλκα καὶ νυκτὸς πάλιν φυγών, τὸ πλεῖστον αὐτοῦ κατεκόπη. αὐτὸς δὲ Ἰνδιόρτης καὶ ζωγρίας ἐλήφθη. Dindorfius [1]) annotat mutandum esse in πρὸ πολέμου τραπεὶς καὶ ἔφυγεν . . . . πάλιν ἔφυγε καὶ τὸ πλεῖστον κτλ. Neque vero recte mutatum esse puto. Πρίν saepe ut praepositio cum genetivo coniungitur velut a Pindaro, Flavio Iosepho, Plutarcho, aliis (vid. conclus. p. 32).

5. πρίν et πρὶν ἤ formas Diodorus eodem modo discrevit atque auctores supra commemorati. πρὶν ἤ, quam decies quinquies adhibuit — semel πρὶν γὰρ ἤ 31, 9, 1 — nunquam ante vocem a vocali incipientem exstat [2]). πρίν forma ante vocales novies, ante consonantes ter invenitur.

6. Diodorus ab usu classico non multum recedit. Unica est exceptio, quod optativum in oratione obliqua sprevit.

3. De Dionysio Halicarnasseo.

1. In libris Dionysii Halicarnassei πρίν (ἤ) particulam centies vicies quinquies invenimus. Semel est coniuncta cum indicativo, quater cum coniunctivo, centies undevicies cum infinitivo, semel adverbii locum obtinet (Ant. 8, 65, 5). πρίν particulae ter πρότερον adverbium antecedit, sexies φθάνω (3, 20, 3 et 64, 3; 6, 4, 4; 7, 10, 2; 8, 18, 4; 9, 14, 8).

2. Indicativum Dionysius adhibuit: Ant. 10, 7, 4 οὐ πρότερον ἐπαύσατο, πρὶν ἀκίνητόν τε καὶ ἄφωνον εἶδεν ἐρριμμένον. Hic invenimus formulam οὐ πρότερον παύεσθαι πρίν, quae praecipue in deliciis Xenophonti, Platoni, oratoribus erat [3]). Polybium hunc usum secutum esse supra docuimus; Dionysius ad hanc rem nihil novi confert.

Coniunctivus quattuor locis invenitur, quorum duo consentiunt cum elocutione Diodori. A. 8, 54, 2 ἦν δὲ τὰ δόξαντα αὐτοῖς τοιάδε· περὶ μὲν τῆς καθόδου μήτε τὴν βουλὴν τέλος μηδὲν ἐκφέρειν εἰς τὸν δῆμον μήτ' ἐκεῖνον ἐπιψηφίζειν, πρὶν ἂν τοῖς Οὐολούσκοις εὐπρεπῆ γένηται τὰ περὶ φιλίας καὶ καταλύσεως τοῦ πολέμου.

[1]) Adnotationes interpretum in ed. V p. 412. 1828.

[2]) Cf. Kaelker, Stud. Lips. III 310.

[3]) Sturm l. l. p. 154.

Cum praeteritum antecedat, Xenophon, Plato, oratores optativum adhibuissent, id quod Dionysius nondum fecit, quamquam optativus in scriptis eius reviviscere coepit [1]). Primus optativum Flavius Iosephus denuo adhibuit [2]). A. 10, 18, 3 *οὐ πρότερον ἀναστήσω τὸν στρατὸν ἐκ τῆς πολεμίας, πρὶν ἢ πᾶς ὁ τῆς ἀρχῆς μοι διέλθῃ χρόνος.* Haec est lectio codicum omnium. Hertleinius [3]) *πρὶν ἄν* maluit. Neque vero est cur textus mutetur. Nam *πρὶν ἤ* etiam alias cum coniunctivo constructum est. Talem in modum adhibuit Herodotus [4]) octo locis, Aristoteles [5]) quater, Diodorus semel, Pausanias periegeta [6]) quinquies, Lucas evangelista [6]) bis, Aelianus [7]) ter. Coniectura Hertleiniana reicienda est. A. 5, 42, 1 *καὶ ὁ τῶν Σαβίνων ἡγεμὼν ἀναστήσας τοῦ στρατοῦ τὸ κράτιστον μέρος ἦγεν ἐπὶ τὸν χάρακα σιωπᾶν ἅπασι παραγγείλας καὶ μὴ ποιεῖν ψόφον τῶν ὅπλων, ἵνα μὴ γνοῖεν ἥκοντας αὐτοὺς οἱ πολέμιοι, πρὶν ἐπὶ τῷ ἐρύματι γένωνται* idem dicendum est atque de loco 8, 54, 2. Baumannus [8]) *ἄν* voculam inserere vult, sed ipse fatetur hac in re nil certi constitui posse. Scriptores aevi prioris *πρίν* particulae plerumque *ἄν* addiderunt. Sed sunt exceptiones. Homerus iam et Hesiodus *πρίν* solam cum coniunctivo iunxerunt *ἄν* particula non addita [9]). Quam primi adhibuerunt poetae lyrici. Nonnullis locis Herodoti codices discrepant, in libris Thucydidis omnes codices quinquies *ἄν* omiserunt, ut res non tam certa sit quam Sturmius putat, qui *ἄν* addit. Similiter res se habet duobus locis oratorum et tribus Platonis. Accidit ergo, ut *ἄν* vocula desit, neque habemus quod de auctoritate codicum illo loco Dionysii dubitemus, praesertim cum *ἄν* etiam aliorum scriptorum locis haud paucis desit. A. 8, 75, 3

---

[1]) Cf. Ernestus Schroefel, de optativi apud Dionysium Halicarnaseum usu. diss. Breslau 1909 p. 3.

[2]) Cf. Raab, l. c. 45.

[3]) Hermes 10, 419.

[4]) Sturm l. l. 80.

[5]) Eucken l. l. 6.

[6]) Rogel l. l. p. 26.

[7]) Thouvenin l. l. 609.

[8]) Observationes grammaticae de modorum usu in Dionysii Halic. Antiquitatibus diss. Greifswald 1875 p. 47.

[9]) Sturm passim. R. Foerster. de usu coniunctionis *πρίν* homerico et hesiodeo Miscell. phil. soc. lat. Vratisl. 1863 p. 9.

ἀλλὰ μὴ προεξαναστῆτε μηδὲ θορυβήσητε, πρὶν πάντα ἀκούσητε ἃ λέγω. Sic traditum est. Kiesslingius in editione Parisina *πρὶν ἅπαντα* scribit, cui assentior, cum *πᾶς* et *ἅπας* persaepe inter sese mutentur. *πρίν* formam ante consonantem ponere Dionysius noluit, qua de re infra agemus.

3. Venimus ad infinitivum, qui quinquies est temporis praesentis, semel perfecti, centies decies ter aoristi. Infinitivus praesentis adhibetur, si actio enuntiationis secundariae iteratur aut ingressiva est. A. 4, 72, 1 *βεβουλεῦσθαι γὰρ ἅπαντα βέλτιον πρὶν ἐπιχειρεῖν ἔργῳ τηλικῷδε* et 8, 27, 2 *πρὶν ἐγχειρεῖν ὁτῳδήποτε ἔργῳ τὸ τέλος αὐτοῦ πρῶτον οἴονται δεῖν σκοπεῖν* praebent actiones, quae iterantur, cum proferantur sententiae quasi morales. Actio ingressiva indicatur 3, 3, 3 *οἱ πρὶν ἥλιον ἀνίσχειν διανύσαντες τὴν ὁδὸν ἐντυγχάνουσι τῷ Κλοιλίῳ.* Neque aliter res se habet 5, 49, 4 *πρὶν ἢ καταστρατοπεδεύεσθαι κριοὺς προσέφερε.* Alio loco Dionysium aoristum puto posuisse: 5, 14, 2 traditum est *πρώτη μὲν οὖν ἐγένετο τῶν ἱππέων μάχη βραχεῖά τις εὐθὺς ἅμα τῷ συνιδεῖν ἀλλήλους πρὶν ἢ καταστρατοπεδεύσαντες.* Iacobyus in editione infinitivum praesentis recepit, Sylburgius *κατεστρατοπέδευσαν* vel -- *δεύσαντο* coniecit, quibus assentiri nequeo. Dionysius narrat impetum celerius factum esse quam ut castra poni potuerint. Actio sententiae subordinatae ingressiva est, ad quam significandam aoristi infinitivus adhibetur; cf. 2, 38, 1; 5, 16, 2 al. Praeterea participii forma — *σαντες* facile in infinitivum — *σασθαι* corrigitur. Uno loco invenitur infinitivus perfecti 7, 13, 2 *μάλιστα δ' ἡ στάσις ἀναρριπιζομένη πρὶν ἢ πεπαῦσθαι καλῶς ἔτι τὴν προτέραν ἐνῆγεν αὐτοὺς ψηφίζεσθαι τὸν ἀπόστολον.* Apertum est hoc loco infinitivum perfecti vim praesentis habere et indicare actionem durantem, quae significatio *ἔτι* vocula augetur. Praeterea *πεπαῦσθαι* per se ipsum iam idem fere est atque *παύεσθαι.*

Nunc vertamus nos ad infinitivum aoristi, qui invenitur octoginta locis post *πρίν* et triginta quattuor post *πρὶν ἤ*. Enuntiatio primaria est affirmativa centies bis: A 1, 34, 5; 43, 2; 60, 3; 73, 4; 2, 32, 1; 38, 1; 60, 2; 61, 3; 72, 7; 3, 24, 3; 27, 1; 37, 4; 57, 3; 63, 2; 64, 3; 66, 2; 4, 1, 1; 39, 2; 42, 3; 5, 14, 1; 16, 2; 34, 1; 37, 3; 44, 1 bis; 6, 4, 4; 9, 3; 22, 3; 29, 2; 31, 1; 34, 4; 7, 8, 2; 10, 2; 17, 2; 72, 1; 8, 3, 3; 12, 1; 18, 4; 27, 4;

70, 5; 84, 1; 9, 26, 2; 34, 3; 47, 2; 53, 4; 57, 1; 59, 3; 63, 2 et 3; 64, 1; 71, 2; 10, 10, 2; 26, 3; 40, 4; 48, 2; 11, 7, 1; 20, 3 et 5; 36, 2; 37, 5; 46, 3 et 4; 12, 13, 1; 13, 8, 2; 14, 9, 4; 15, 3, 11; 10, 2; 18, 5, 3; 19, 10, 4; 20, 5, 2; 11, 1; de Demosthene 9; ad Ammaeum 1; de Thucydide 9 et 37; praeterea post *πρὶν ἤ* 1, 86, 3; 2, 5, 5; 35, 1; 3, 5, 3; 20, 3; 39, 3; 44, 2; 4, 56, 4; 79, 2; 79, 4; 81, 5; 5, 14, 2; 5, 77, 1; 6, 3, 3; 5, 1; 14, 1; 31, 2; 49, 2; 62, 2; 91, 2; 7, 29, 5; 8, 9, 2; 55, 4; 9, 14, 8; 21, 1; 11, 6, 3; 7, 4; 19, 4; ad loci notionem accedit constructio quae a *πρίν* pendet 3, 44, 2, ubi agitur de ostio Tiberis: *προκαταναλίσκεται πρὶν ἢ τῇ θαλάττῃ συνάψαι τὸ ῥεῖθρον.*

4. Undecim locis enuntiatio primaria est negativa. De Thucydide 44 *οὐκ ἦν ἐπιτήδεια εἰρῆσθαι καὶ ταῦτα ἐν ἀρχαῖς τῆς ἀπολογίας πρὶν ἑτέροις τισὶν ἀπομειλίξασθαι λόγοις τὰς ὀργάς* ratio est temporalis; nam enuntiatio subordinata circumloquitur *ἐν ἀρχαῖς τῆς ἀπολογίας*. Neque aliter res se habet A. 1, 80, 3 *ὁρῶν γὰρ αὐτοῦ τὴν σπουδὴν μανικωτέραν οὖσαν οὗτος νομισθεὶς ὁ πατὴρ* (Faustulus) *ἃ τὸν ἔμπροσθεν χρόνον ἀπόρρητα ποιούμενος τοῖς μειρακίοις διετέλεσεν ὡς μὴ θᾶττον ὁρμήσωσι παρακινδυνεῦσαί τι πρὶν ἐν τῷ κρατίστῳ τῆς ἀκμῆς γενέσθαι.* Hic *θᾶττον* explicatur constructione a *πρίν* pendente. Quibus locis addendus est 2, 31, 1. Dionysius narrat virgines Sabinas raptas esse; hoc primo regni anno factum esse alios quosdam prodidisse, Gellium autem quarto, *ὃ καὶ μᾶλλον εἰκός· νέον γὰρ οἰκιζομένης πόλεως ἡγεμόνα πρὶν ἢ καταστήσασθαι τὴν πολιτείαν ἔργῳ τηλικούτῳ ἐπιχειρεῖν οὐκ ἔχει λόγον.* Enuntiatio secundaria circumlocutione idem docet atque genetivus *νέον οἰκιζομένης πόλεως*. Adicio 4, 40, 5 ubi antea de morte Tullii actum est, *δείσας ὁ Ταρκύνιος, εἰ διὰ τῆς ἀγορᾶς ὁ νεκρὸς φέροιτο, . . . μή τις εἰς ἑαυτὸν ὁρμὴ γένηται τοῦ δημοτικοῦ πρὶν ἢ βεβαίως κρατύνασθαι τὴν ἀρχὴν οὐκ εἴασε τῶν νομίμων οὐδὲν αὐτῷ γενέσθαι.* Intercedit inter enuntiationes ratio temporalis. Pariter res se habet 4, 71, 1 *διὰ φυλακῆς τὰς πύλας ἔχομεν, ἵνα μηδὲν τῶν ἐν τῇ πόλει λεγομένων τε καὶ πραττομένων κατὰ τῆς τυραννίδος αἴσθηται Ταρκύνιος πρὶν ἢ τὰ παρ' ἡμῶν εὐτρεπῆ γενέσθαι.* Item sensus est temporalis 11, 8, 3 *οὐ γὰρ ἐξεγένετο ἡμῖν πρὶν εἰς τοῦτο*

καταστῆσαι[1]) τὸν πόλεμον ὑπὸ τῆσδε τῆς ἀρχῆς κληθεῖσι περὶ τῶν ἐν τῇ πόλει πραγμάτων εἴ τι μὴ καλῶς εἶχε τῶν γιγνομένων διαγνῶναι i. e. ante hanc belli commutationem. 8, 8, 3 πολέμου δὲ μήπω ἄρχετε πρὶν ἢ λαβεῖν τὰς παρ' αὐτῶν ἀποκρίσεις constructio, quae a πρίν pendet, adverbium μήπω explicat.

Sequuntur quattuor loci, quibus inest ratio condicionalis. 5, 57, 5 ὡς οὐ θεμιτὸν αὐτοῖς ἐφ' ἱερὰ παρεῖναι καὶ θυσιῶν κατάρχεσθαι πρὶν ἀφοσιώσασθαι τὸ μίασμα. Constructio quae a πρίν pendet, ad notionem condicionalem appropinquat. Neque aliter res se habet reliquis tribus locis: 8, 5, 3 μὴ πρότερον ποθεῖτε ὅτι χρὴ πράττειν ἀκοῦσαι πρὶν ὁποῖός τις εἰμὶ ἐξετάσαι. 10, 19, 4 ὅρκους διομοσάμενος ἰσχυροὺς περὶ τοῦ μὴ λήψεσθαι πάλιν τὴν ὑπατείαν πρὶν ἀποθέσθαι τὴν προτέραν ἀρχὴν προεῖπεν ἀρχαιρεσίων ἡμέραν. 17, 7, 5 ἐκρίναμεν μὴ πρότερον ἄρξαι τῶν ἔργων πρὶν ἢ πειραθῆναι τῶν λόγων. Animadvertendum est omnibus fere his locis, quibus infinitivus vim coniunctivi usurpavit, in enuntiatione primaria πρότερον particulam exstare. Idem apud Polybium sex locis ex octo observamus. Quater ergo Dionysius a regula, quam classici statuerunt, discessit, cum infinitivum admiserit pro coniunctivo, ut rationem condicionalem redderet, id quod iam Polybium fecisse supra vidimus.

5. Iacobyus in observationibus in Dionysium Halicarnassensem criticis[2]) ostendit Dionysium in πρίν particulae usu concursum ut vocalium ita consonantium evitavisse. Nam constanter πρίν forma utitur ante vocales — octogies septies — πρὶν ἤ ante consonantes — tricies septies —. Quam sententiam prorsus laudavit Kallenbergius[3]), quamquam concedit Dionysium mitiorem esse in hiatu vitando. Uno loco excerpta Ambrosiana πρὶν ἤ ante vocalem praebent: 13, 8, 2 πρὶν ἢ εἰς χεῖρας ἐλθεῖν, ubi iam Kiesslingius merito ἤ delevit; quattuor enim locis πρὶν εἰς χεῖρας ἐλθεῖν traditum est — 7, 84, 1; 9, 53, 4; 13, 8, 2 et 9, 4 —. Altera ex parte πρίν quattuor locis ante consonantem

[1]) Sequor ut Iacobyus lectionem codicis L.

[2]) Acta societatis philol. Lips. I p 303. Sed vide Büttner-Wobst, Berl. phil. Woch. 1892 N. 24 p. 745.

[3]) Mus. Rhen. 62, 9.

exstat — 1, 86, 3; 6, 62, 2; 7, 29, 5; 9, 14, 8 —. His locis ἤ vocula merito inserta est. Nam primum Dionysius illo loco, quo πρίν adverbium est — 8, 65, 5 ἐν ταῖς πρὶν ἀριστεύειν μάχαις —, usitatam positionem vocum ita mutavit, ut πρίν ante vocalem, non ante consonantem collocetur. Nam ut clausulam[1]) efficeret, hoc facere non potuit, cum prosodia eadem fuisset sive ordine verborum commutato sive non. Praeterea nunquam Dionysius post πρίν particulas μέν, δέ, γάρ, γε posuit, id quod alii scriptores fecerunt, qui πρίν et πρὶν ἤ formas non tanta subtilitate distinxerunt quanta Dionysius, velut Polybius πρὶν μέν 16, 22, 4; Strabo πρὶν γάρ 11, 3, 5; πρὶν δέ 6, 1, 2; 14, 1, 32; 17, 1, 46; Diodorus πρὶν δέ 20, 9, 2; Pausanias[2]) septies πρὶν δέ, bis πρίν γάρ et πρίν γε, semel πρὶν μέν, Philo septies πρὶν δέ.

6. Pauca addenda sunt de Dionysii quae fertur arte rhetorica, quam ab eo non esse conscriptam Leonardus Sadée demonstravit[3]). Nam sermo eius valde recedit ab elocutione Dionysiana. Gaudeo me quoque conferre aliquid posse ad hanc rem illustrandam. Cap. 9 §§ 7—8 exstat πρὶν φανερῶς εἰπεῖν et πρὶν εἰπεῖν et πρὶν συναγαγεῖν. Apertum est regulam, quam Dionysius sequitur, his locis violatam esse; nam ille inter πρὶν et φανερῶς vel συναγαγεῖν inseruisset ἤ voculam, ut impediret ne πρίν ante consonantem staret.

7. Videmus apud Dionysium modos magis florere quam apud Diodorum. Attamen infinitivus saepe vim coniunctivi usurpavit. Optativus ut antea deest[4]).

---

[1]) Clausulas Dionysius adhibuisse mihi videtur. Nam perpaucis paginis perquisitis has praecipue formas inveni:

— ⏑ — ⏑; — ⏑ — — ⏑; — ⏑ — — ⏑ —; — ⏑ ⏑ — — ⏑;
— ⏑ ⏑ — — ⏑ —; — ⏑ ⏑ — ⏑

quam rem occasione data accuratius perquiram.

[2]) Cf. Rogel l. l. p. 8.

[3]) De Dionysii Halicarnassensis scriptis rhetoricis quaestiones. Dissertt. phil. Argentorat. II 113 sqq. Multo ante de hac re egit H. A. Schott, τέχνη ῥητορική quae vulgo integra Dionysio Hal. tribuitur, emendata . . . Lipsiae 1804.

[4]) Ant. 6, 56, 4; 9, 4, 1; 9, 58, 6 πρότερον ἤ particula cum infinitivo aoristi adhibita est eadem significatione atque πρίν.

4. De Strabone geographo.

1. Strabo *πρίν* particulam triginta septem locis adhibuit. A *πρίν* pendet indicativus sexies, coniunctivus ter, infinitivus vicies octies. In enuntiatione primaria quater *πρότερον* adverbium exstat (1, 2, 3; 7, 7, 11; 15, 1, 37; 16, 2, 10), ter verbum *παύεσθαι* — 1, 3, 16; 5, 4, 11; 8, 3, 28 —, semel formula *πρότερον παύεσθαι πρίν* (4, 4, 6), ter verbum *φθάνω* — 6, 2, 8; 7, 3, 11; 13, 2, 3 —.

2. Indicativus semper post verbum negativum invenitur. Tempus eius semper est aoristus. Bis *πρίν* particulae *οὐ πρότερον* antecedit, ter *οὐ παύεσθαι*, semel *οὐ* negatio sola. His in formulis Strabo cum Xenophontis, Platonis, oratorum usu convenit. Semper constructio, quae *πρίν* sequitur, indicat, usque ad quem terminum actio enuntiationis primariae fiat. 1, 3, 16 terrae motus *διέβη . . . . καὶ τὴν Εὔβοιαν, ὥστε . . . τὰς πηγὰς . . . . ἀναβλύσαι . . . . μὴ παύεσθαι δὲ σειομένην τὴν νῆσον κατὰ μέρη, πρὶν ἢ χάσμα γῆς ἀνοιχθὲν ποταμὸν ἐξήμησε.* 5, 4, 11 *προγραφάς τε ποιούμενος οὐκ ἐπαύσατο, πρὶν ἢ πάντας τοὺς ἐν ὀνόματι Σαυνιτῶν διέφθειρεν ἢ ἐκ τῆς Ἰταλίας ἐξέβαλε.* 15, 1, 28 *ἔτυχόν τε πλειόνων ἢ αὐτοὶ παρέσχον ὥστε φθονεῖν τοὺς Μακεδόνας καὶ λέγειν, ὡς οὐκ εἶχεν, ὡς ἔοικεν, Ἀλέξανδρος, οὓς εὐεργετήσει, πρὶν ἢ διέβη τὸν Ἰνδόν.* 16, 2, 10 *οὐ πρότερον εἰς τὴν ἐξουσίαν ἧκε, πρὶν ἑκὼν ἐνεχείρισεν ἑαυτόν.* 1, 2, 3 Strabo a *πρίν* suspensum fecit locum Homeri — *γ* 270 sq. — qui indicativum continet: *εἴρηκε . . . τόν τε Αἴγισθον οὐ πρότερον αὐτῆς περιγενέσθαι, πρὶν ἢ* — ⏑ ⏑ *τὸν μὲν ἀοιδὸν ἄγων ἐς νῆσον ἐρήμην κάλλιπε* — ⏑ ⏑ — ⏑ ⏑ — ⏑ ⏑ — ⏑ ⏑ — ⏑ *τὴν δ' ἐθέλων ἐθέλουσαν ἀνήγαγεν ὅνδε δομόνδε.* Omnibus locis verbum regens temporis praeteriti est ut apud classicos, quos vocamus.

Coniunctivus tribus locis exstat et habet vim usitatam. 7, 7, 11 *φησίν . . . συμβουλεύων μὴ πρότερον ἐπιτίθεσθαι τῷ Τηλεμάχῳ, πρὶν ἂν τὸν Δία ἐρωτῶσι.* 15, 2, 14 *γαμεῖ δ' οὐδείς, πρὶν ἂν πολεμίου κεφαλὴν ἀποτεμὼν ἀνενέγκῃ ἐπὶ τὸν βασιλέα.* 4, 4, 6 *φησὶν . . . μὴ παύεσθαι πρότερον, πρὶν παύσωνται τῆς λύττης.* Kallenbergius[1]) putat hoc loco *ἂν* excidisse neglegentia

[1]) L. l. p. 14

scribae. Sed, ut supra[1]) vidimus, nonnullis locis scriptorum aliorum *ἄν* deest, ut hic inseri necesse non sit.

3. Vertamus nos ad infinitivum. Binis locis est temporis praesentis et perfecti, viginti quattuor aoristi. Infinitivus praesentis adhibetur ad actionem durantem significandam: 11, 14, 2 (*ὁ Ἀντίταυρος*) *οὗτος τελευτᾷ, ἐκ θατέρου δὲ μέρους ἔχων τὴν Ἀκιλισηνὴν μεταξὺ ἱδρυμένην τοῦ Ταύρου τε καὶ τῆς τοῦ Εὐφράτου ποταμίας πρὶν ἢ κάμπτειν αὐτὴν ἐπὶ νότον.* Apertum est hunc locum actionem durantem continere. Pariter res se habet 9, 2, 9. Narrat Strabo Salganeum vicum nomen cepisse ex morte Salganei cuiusdam, qui Persis viam ex sinu Malaico per Euripum ostendisset; sed ducem Persarum illi diffisum esse, quare *ὅν φασιν ἀναιρεθῆναι πρὶν ἢ τῷ Εὐρίπῳ συνάπτειν.* Hic locus similiter explicandus est atque nonnulli Xenophontei a Sturmio[2]) explicati sunt: idem significat atque *πρὶν ἐν τῷ συνάπτειν εἶναι.* Infinitivus perfecti exstat 12, 2, 10: *ὠνομάσθη δὲ Σινωπικὴ* (scil. *μίλτος*), *διότι κατάγειν ἐκεῖσε εἰώθεσαν οἱ ἔμποροι πρὶν ἢ τὸ τῶν Ἐφεσίων ἐμπόριον μέχρι τῶν ἐνθάδε ἀνθρώπων διῖχθαι.* Infinitivus *διῖχθαι* sane vim praesentis habet et significat aliquid durans: notitiam emporii Ephesiorum. 1, 3, 6 *τί ἐκώλυε πρὶν ἀνεῳγέναι τὸ στόμα τὸ κατὰ Βυζάντιον ταπεινότερον ὂν τὸ τοῦ Εὐξείνου ἔδαφος τοῦ τῆς Προποντίδος καὶ τῆς ἑξῆς θαλάττης πληρωθῆναι ὑπὸ ποταμῶν;* Hoc loco res simillima est. Illud *ἀνεῳγέναι patefactum esse* nil aliud significat nisi *patere*.

Infinitivus aoristi longe plurimis exstat locis — vicies quater —: 1, 2, 36; 3, 9 et 15; 3, 4, 17; 4, 6, 7; 6, 2, 8; 7, 5, 8; 9, 2, 28; 11, 3, 5; 13, 1, 33; 14, 1, 32; 3, 9; 15, 1, 8 et 31 et 37; 16, 1, 20; 17, 1, 46 post *πρίν* et 5, 3, 5; 6, 2, 8; 7, 3, 11; 10, 1, 24; 13, 2, 3; 16, 4, 21 post *πρὶν ἤ*. Duo loci ad notionem localem accedunt: 11, 3, 5 *Κῦρος* et *Ἄραγος* flumina *πρὶν γὰρ εἰς ἀλλήλους συμπεσεῖν ἔχουσιν ἐπικειμένας πόλεις* et 14, 3, 32 *πρὶν δ᾽ ἐλθεῖν ἐπὶ τὰς Ἐρυθρὰς πρῶτον μὲν Ἔραι πολίχνιόν ἐστι Τηίων.*

[1]) P. 18.
[2]) L. l. p. 100.

Praeterea πρίν particulae soli bis negatio antecedit: 6, 1, 2 πρὶν δὲ τοὺς Ἕλληνας ἐλθεῖν οὐδ' ἦσάν πω Λευκανοί. Plane inest huic loco sensus temporalis: ante adventum Graecorum Lucani nondum fuerunt. Aliter prorsus res se habet 15, 1, 37: narrat Strabo in India esse canes fortes οὐ πρότερον μεθιέντας τὸ δηχθὲν πρὶν εἰς τοὺς ῥώθωνας ὕδωρ καταχυθῆναι. Hic sane ratio ad significationem condicionalem appropinquat: canes illud quod mordent, non omittunt, nisi aqua in nares eorum infunditur. Unicus est locus, quo Strabo a regula usitata recedit. Quam ad rem imitatione perductus est; nam illud caput hausit ex Megasthenis Indicis, apud quem hanc constructionem fuisse coniciendum est.

4. Hiatum post πρὶν ἤ Strabo non admisit. Hanc formam duodecim locis adhibuit. Πρίν sola vicies quinquies invenitur, quam quindecim locis vocalis sequitur. Iam supra commemoravimus ter πρίν ante δέ, semel ante γάρ exstare. Praeterea sex locis πρίν solam consonans sequitur — 1, 3, 15; 4, 6, 7; 9, 2, 28; 15, 1, 8; 8, 3, 28; 4, 4, 6, qua ex re elucet Strabonem in hac re non tam severis legibus sese obstrinxisse quam Dionysium.

5. Apud Strabonem modos — optativo excepto — florere videmus, cum novem e locis triginta septem illos adhibuerit = 25 % (apud Dionysium 5 %, Diodorum 11 %, Polybium 4 %). Praecipue indicativum Strabo in deliciis habuit (66,6 %), qui apud alios scriptores multo rarius invenitur.

5. De Philone Alexandrino.

Edd. Cohn-Wendland I—V 1896—1906. ed. Richter V—VI 1828—29.

1. In libris Philonis Alexandrini πρίν particula invenitur octoginta quinque locis. Semel coniunctivus exstat, septies infinitivus praesentis, bis perfecti, septuagies quinquies aoristi. Indicativus et optativus non adhibentur [1].

2. Coniunctivum reperimus de vita Mosis 1, 298 οὐ θέμις ὁμιλίας σοι τῆς ἐμῆς ἀπολαῦσαι, πρὶν ἂν ἐκδιαιτηθῇς μὲν τὰ

[1] Semel adverbium est de opif. mundi 114. De optativi usu Philoneo v. Reik l. l. 48.

πάτρια. Nihil habet locus singulare, sed convenit cum regula usitata.

3. Ex locis, quibus infinitivus exstat, primum illos tractemus, qui infinitivum praesentis vel perfecti praebent. De plantatione 176 ἀλλ' οὐ πρὶν ἢ τοὺς ἄλλους ἑξῆς συνείρειν ἄμεινον καθ' ἕκαστον τῶν προτεινομένων ἀντιλέγειν; de mutatione nominum 158 πρὶν ἀέρι ἐπινήχεσθαι πτερύσσεσθαι καὶ τοὺς ταρσοὺς διασείειν φιλεῖ. His locis actionem iterari iam probatur verbis ἑξῆς — καθ' ἕκαστον, φιλεῖ. Praeterea in fragmento, quod traditum est in Eusebii praeparatione evangelica 8, 8 (Phil. p. 633 M) verba πρὶν δὲ ἥλιον ἀνασχεῖν ἐπὶ τὰ συνήθη τρεπόμενοι δυομένου μόλις ἐπανίασι χαίροντες in πρὶν δὲ ἥλιον ἀνίσχειν muto. Nam primum est actio iterativa, ut elucet ex praesentibus, deinde ἀνίσχειν quadrat ad praesens δυομένου. Tribus locis infinitivo praesentis actiones ingressivae significantur: de vita Mosis 1, 68 ὁ βάτος . . . διαμένων ὁποῖος ἦν πρὶν ἀνακαίεσθαι μηδὲν ἀποβαλὼν τὸ παράπαν αὐγὴν προσέλαβε i. e. priusquam ardere inciperet. De specialibus legibus 4, 7 ἁλοὺς μὲν ἐπ' αὐτοφώρῳ πρὶν ἥλιον ἀνίσχειν ἐν αὐτῷ τῷ διορύγματι ἀναιρείσθω. De posteritate Caini 185 διόπερ ὀρθῶς ἂν αἱ πόλεις ἐποίησαν, πρὶν ὅπλα καὶ μηχανήματα ἀντεπιφέρειν ἀλλήλαις . . . ., στάσιν καταλῦσαι i. e. priusquam manus consertura essent. Regulariter aoristus actionem ingressivam indicat, sed talem in modum iam Polybius[1]) et Diodorus[2]) praesens adhibuerunt. Reliquus est locus de vita Mosis 1, 232 ἐγένοντο μὲν οὖν αὐτοῖς ἅμιλλαι μυρίαι καὶ πρὶν ἐπανήκειν κατὰ τὴν ὁδόν. Infinitivus ἐπανήκειν sane vim praeteriti habet idemque fere valet atque aoristus, quare nihil est offensionis hoc loco. Bis exstat infinitivus perfecti, quo exprimitur actio, quae in praesenti perfecta est, ut vim praesentis habeat. Quod deterius potiori insidiari soleat 42 πρὶν διερηρεῖσθαι πεσεῖται. De somniis 1, 56 πρὶν δὲ τὸν ἴδιον οἶκον καλῶς ἐπεσκέφθαι τὸν τοῦ παντὸς ἐξετάζειν οὐχ ὑπερβολὴ μανίας; Huic loco inest negatio, sed cum sit figura rhetorica interrogativa, sensus est affirmativus neque regulam usitatam violat.

[1]) Supra p. 9.
[2]) P. 15.

4. Restat ut quaeramus de infinitivo aoristi. Duodequinquaginta locis ei antecedit verbum affirmativum: de opif. mundi 78; 129; 159; Legum alleg. 1, 22 et 23; 3, 87 et 88 et 244 bis. de Cherubim 31. de poster. Caini 145 et 163. de gigantibus 29 et 62. quod deus sit immut. 177. de agricultura 163. de plantatione 96; 107; 161. de ebrietate 3. de confus. lingu. 140. de migrat. Abrah. 138 et 141. de somniis 1, 11 et 112; 2, 221. de Abrahamo 5; 182; 226. de Iosepho 200. de decalogo 80. de spec. legg. 1, 311; 2, 98 et 179; 3, 17 et 103. de virtutibus 157 et 165. de praemiis 62. quod omnis probus liber sit 17. de vita contempl. 5 R [editionis Richterianae]. contra Flaccum 13 R. de legatione 4 R. fr. p. 628 M et 637 M post *πρίν* et de Cherubim 135, de conf. lingu. 38, de praemiis 5 post *πρὶν ἤ*.

Sunt viginti sex loci, quibus enuntiatio primaria negativa est. Supra vidimus talibus locis duas inesse rationes, temporalem aut condicionalem. Videamus quemadmodum res se habeat in libris Philonis. Mirum est, quam saepe infinitivum post verbum negativum admiserit: vicies septies (de uno loco paulo ante verba fecimus), saepissime fere omnium scriptorum: Thucydides quater = 6,6 %, Xenophon sexies = 5,4 %, Plato decies sexies = 13,8 %, oratores vicies ter = 12,9 %, Polybius novies = 36 %, Philodemus semel = 14,3 %, Diodorus ter = 12 %, Dionysius undecies = 9,2 %, Philo vicies septies = 31,3 %. Apud Philonem constructio, qua infinitivus a *πρίν* pendet negatione antecedente, tres significationes praebet. Primum Philo hac constructione utitur, ut secundum regulam usitatam rationem temporalem indicet. Deinde haud raro infinitivum a *πρίν* suspensum facit locis, quibus indicativus adhibendus est; quam rem, si recte locos interpretati sumus, antea non invenimus. Tum sane huic constructioni ratio condicionalis inest ut apud scriptores, quos laudavimus [1]).

Inprimis locos illos tractemus, quibus apparet determinatio mera temporis. Iam in infinitivi perfecti usu vidimus infiniti-

[1]) Cf. Reik p. 139. „Was die Konj. *πρίν*, *πρὶν ἤ*, *πρότερον πρίν*, *πρότερον ἤ* betrifft, so weisen die wenigen Stellen, wo nach attischem Sprachgebrauch der Optativ möglich oder zu erwarten wäre, infinitivische Konstruktion auf“.

vum pendere a *πρίν*, si negatio ad enuntiationem interrogativam pertinet. Quae figura sane est rationis affirmativae. Aeque res se habet de Iosepho 130 *οὐ κάλλος μὲν ἐφήμερον πρὶν ἀνθῆσαι μαραινόμενον;* In codicibus praeter F, qui *ἀνθήσῃ* praebet, *ἀνθήσει* legitur. Sed ratio est prorsus temporalis, ita ut *ἀνθήσῃ* = *ἀνθήσῃ* intolerabile sit, etiam magis *ἀνθήσει*, quod facillime ex *ἀνθῆσαι* oriri potuit, quam lectionem iam Mangeyus restituit. Sequuntur reliqui loci, qui nil nisi indicium temporis continent: De opif. mundi 129 *πρὶν ἀνατεῖλαι χόρτον ἐν ἀγρῷ, χόρτος οὐχ ἦν ὁρατός.* Legum alleg. 1, 26 *πρὶν οὖν γενέσθαι τὰ κατὰ μέρος συγκρίματα οὐκ ἔβρεξεν ὁ θεός.* De somniis 2, 182 *ἀλλ' ἴσως ἂν εἴποι· μή με προπετῶς αἰτιῶ πρίν με σκέψασθαι.* De congressu erud. causa 19 *οὐ πρότερον πεπηγυίαις καὶ πολυτελέσι χρῆται τροφαῖς πρὶν ἢ ταῖς ἀποικίλοις καὶ γαλακτώδεσιν ἐν ἡλικίᾳ τῇ βρεφώδει;* post *πρὶν ἢ χρήσασθαι* infinitivus facile ex *χρῆται* suppletur. Eadem res in scriptis Platonis observatur[1]): nonnullis locis hic infinitivum praetermisit, si eiusdem verbi est atque verbum enuntiationis primariae. Pariter infinitivus deest in Septuaginta, legimus enim Gen. 29, 26 *οὐκ ἔστιν οὕτως ἐν τῷ τόπῳ ἡμῶν δοῦναι τὴν νεωτέραν πρὶν ἢ τὴν πρεσβυτέραν* (scil. *δοῦναι*). Hunc quidem locum Philo per allegoriam circumlocutus est in libello, qui inscribitur de ebrietate 49 *οὐ πρότερον ἐπὶ τὰς τῆς πρεσβυτέρας ἀφικνοῦνται θύρας φιλοσοφίας πρὶν ἢ ταῖς νεωτέραις ἐντυχεῖν.* Sensus sane est temporalis ut loco Geneseos, quem Philo imitatus est.

Nunc vero vertamus nos ad illos locos, quibus infinitivus vim indicativi usurpavit. Indicativus antea ponebatur, si constructio quae a *πρίν* pendet, indicabat, quem usque ad terminum actio enuntiationis primariae duraret sive perfecta esset. Xenophon, Plato, oratores praecipue formulam *οὐ παύεσθαι* vel *πρότερον — πρίν* in deliciis habuerunt. Philo nusquam indicativum adhibuit. Haec constructio omnino rara est apud scriptores, quos tractamus. Et Polybius et Dionysius semel illa usi sunt, Strabo solus sexies. Flavius Iosephus eam sprevit ut Philo. Multis locis Philo illam formulam *οὐ πρότερον παύεσθαι (ἀνιέναι, ἀπέχομαι, ἀφίσταμαι) — πρίν*, quae cum indicativo

[1]) Sturm p. 131 sq.

libenter coniungitur, cum infinitivo coniunxit. Legum alleg. 3, 14 *οὐ παύεται πολεμῶν πρὶν ἐπιδεῖν πηρνεῖς καὶ ἀπράκτους τὰς ἡδονάς*; ad rem illustrandam conferas velim locum Dionysii 10, 7, 4: *οὐ πρότερον ἐπαύσατο, πρὶν ἀκίνητόν τε καὶ ἄφωνον εἶδεν ἐρριμμένον*. Ibid. 3, 190 *οὐ πρότερον ἀνήσει πτέρναν τοῦ ἀνταγωνιστοῦ πάθους πρὶν ἀπειπεῖν αὐτό*. Ibid. 3, 242 *τὸν σειρομάστην τοῦτ᾽ ἔστι τὸν ζηλωτικὸν λόγον λαβὼν οὐκ ἀποστήσεται πρὶν ἢ ἐκκεντῆσαι τὴν Μαδιανῖτιν*. Quod det. pot. ins. sol. 32 *παγκρατιάζοντες οὐ παύονται πρὶν ἢ ἀπειπεῖν βιάσασθαι ἢ παντελῶς διαφθεῖραι*. De agricultura 59 *πρὶν ἀνὰ κράτος ἑλεῖν οὐκ ἀνήσουσι τὸ τῆς φύσεως ἐλεύθερον ἐπιδειξάμενοι*, ibid. 76 *οὐ παύονται φερόμενα πρὶν ὑποσκελισθέντα πεσεῖν*, ibid. 91 *οἱ γὰρ πόνους ἡδεῖς ὑποστάντες τῶν οἰκείων καὶ ἐπιβαλλόντων οὐκ ἀφέξονται πρὶν ἐπὶ τέλος ἐλθεῖν αὐτῶν*. Praeterea bis formula *οὐ πρότερον* — *πρίν* invenitur: de poster. Caini 176 *πρότερον οὖν αἱ κακαὶ γνῶμαι εἰς ὁμιλίαν οὐκ ἀφίξονται τῷ πατρὶ πρὶν ἐπιφορῆσαι τὸν ἀφροσύνης πολὺν ἄκρατον*; de decalogo 12 *οὐ γὰρ πρότερον σιτία καὶ ποτὰ παρέχειν ἀξιοῦσι πρὶν ἢ τὰ τῶν νόσων αἴτια ὑπεξελέσθαι*. Eo sane haec constructio a regula recedit, quod in enuntiatione primaria non ut in indicativi usu praeteritum exstat, sed praesens vel futurum. Eodem modo atque Philo Flavius Iosephus infinitivum pro indicativo a *πρίν* suspensum fecit velut Ant. Iud. 6, 230 *οὐκ ἀνήσω τὸν πατέρα πολλάκις αὐτοῦ τῆς προαιρέσεως διάπειραν λαμβάνων πρὶν ἢ καταμαθεῖν ἥ τις ἐστί* et 8, 51 *οὐ γὰρ ἐπαύσατο πρότερον τοὺς ἐχθροὺς καταστρεφόμενος πρὶν ἢ πάντας αὐτοὺς φόρων ὑποτελεῖς πεποιηκέναι* [1]).

Restat ut agamus de illis locis, quibus Philo infinitivum adhibet, quamquam ratio est condicionalis. Saepe enuntiatio primaria prohibitivum et legis formulam continet, ut constructione a *πρίν* pendente condicio indicetur, qua aliquid fiat. De migrat. Abrah. 138 *πρὶν δὲ οἵτινές ἐστε αὐτοὶ παραστῆσαι μὴ νομίζετε κριταὶ τῶν ἄλλων . . . γενήσεσθαι*. De vita Mosis 1, 254 *οὐ γὰρ ἐνόμιζον ὅσιον εἶναι διανείμασθαι γῆν ἢ πόλεις κατοικῆσαι πρὶν καὶ τῆς χώρας καὶ τῶν πόλεων ἀπάρξασθαι*. De special. legg. 1, 276 *οὐ γὰρ ἐφεῖται τὴν ὁλόκαυτον θυσίαν ἔξω προσαγαγεῖν*

[1]) Hunc usum Raab l. l. neglexit.

πρὶν ἔνδον περὶ βαθὺν ὄρθρον ἐπιθυμιᾶσαι. ibid. 2, 180 δίκαιον γὰρ . . . μήτε συνόλως σπάσαι πρὶν ἀπάρξασθαι τῷ χορηγῷ, ibid. 4, 99 ἐφίεται δὲ τὸ παράπαν οὐδενὶ γεύσασθαί τινος ἢ μεταλαβεῖν πρὶν διακρῖναι τὰς ἀπαρχάς. Quod deter. pot. insid. sol. 12 μήτε δὲ τὴν θέαν τοῦ πράγματος μήτε τὴν περὶ τοῦ ὑγιαίνειν τοὺς ἀσκητὰς διάγνωσιν βεβαιώσῃ παρὰ σεαυτῷ πρὶν ἀναγγεῖλαι καὶ ἀνενεγκεῖν τῷ πατρί. De virtutibus 142 κελεύσας γὰρ πρὶν ἀπόμαστον γενέσθαι μὴ ἀποσπᾶν τῆς τεκούσης μήτε ἄρνα μήτε ἔριφον μήτε ἄλλο τι τῶν ἐν ταῖς ἀγέλαις ἐπιδαψιλεύεται. Sequuntur reliqui loci continentes rationem condicionalem: de special. legg. 4, 160 τῷ δὲ γράφοντι κατὰ σχολὴν ἐνσφραγίζεσθαι καὶ ἐνιδρύεται τῆς διανοίας ἐνευκαιρούσης ἑκάστῳ . . . καὶ μὴ μετιούσης ἐφ᾽ ἕτερον πρὶν ἢ περιδράξασθαι τοῦ προτέρου βεβαίως. Legum alleg. 3, 67 οὐ καταδικάζεται πρὶν ὁμολογῆσαι de Cherubim 50 Σάρρα γοῦν οὐ διαλέξεται πρὶν ἐκλιπεῖν ἐκείνην τὰ γυναικεῖα πάντα. De incorruptibilitate mundi 26 R καὶ ἐν τοῖς περὶ βίον ἀμφισβητήμασιν ὁ νόμιμος δικαστὴς πρὶν παρὰ τῶν ἀντιδίκων ἀκοῦσαι γνώμην οὐκ ἀποφανεῖται.

5. Perquirendum est, quaenam ratio intercedat inter πρίν et πρὶν ἤ formas. Iessenius in commentatione scripta de elocutione Philonis Alexandrini [1]) contendit Philonem et hiatum et concursum consonantium evitavisse, quam rem probat usu ἄχρι et μέχρι particularum exposito: ἄχρι post consonantes, μέχρι post vocales, ἄχρις et μέχρις ante vocales exstare. Sed ut hanc sententiam probet, Iessenius non paucis cogitur locis textum suo mutare arbitrio. Praeterea quamquam rem similiter se habere docet in ὅτι -διότι, πάλιν -ἔμπαλιν, πᾶς -ἅπας vocum usu, his locis textum corrigere non ausus est. Optimo iure Paulus Wendland [2]) Philonem in hac re tanta esse severitate negavit. Atque ita res se habet in πρίν particulae usu. Πρίν forma quadragies quater ante vocalem, tricies bis ante consonantem exstat. Πρὶν ἤ forma novies ante consonantem, bis ante vocalem invenitur. Hiatum quoque post πρότερον- ἤ quattuor locis admisit. Septies

[1]) Hamburg 1889. Festprogramm für Sauppes 70. Geburtstag.

[2]) JB. f. cl. Philol. Suppl. 22, 726 et Philons Schrift über die Vorsehung 1892 p. 117.

πρὶν δέ invenitur, semel πρὶν γάρ. Plane vides parum valere illam legem Iessenianam.

Philo πρὶν ἤ formam rarissime omnium scriptorum adhibuit, quos tractavimus Si totum a Polybio usque ad Aelianum aevum lustramus, Philo, ut ita dicam, in valle versatur, quam rem ex tabella intellegas:

	πρίν	πρὶν ἤ		
Polybius	4	22	=	84,7 %
Philodemus	5	2	=	28,5 %
Diodorus	12	15	=	55,6 %
Dionysius	87	37	=	29,4 %
Strabo	25	12	=	32,6 %
Philo	76	11	=	12,6 %
Iosephus	90	25	=	23,17 %
Pausanias	29	83	=	74,1 %
Aelianus	3	28	=	90,3 %

6. Eadem significatione atque πρίν Philo saepe οὐ (μή) πρότερον -ἤ adhibuit, ut rationem temporalem indicaret. Uno loco hanc particulam cum indicativo aoristi coniunxit in libello, qui inscribitur quod deus sit immutabilis 16 οὐ πρότερον ἐπαύσατο τὸ λογικὸν διαφθείρειν ἢ καὶ αὐτὸς ἀνεδέξατο φθορὰν παντελῆ, reliquis undeviginti locis cum infinitivo. Semel exstat infinitivus praesentis (de special. legg. 3, 63), duodevicies aoristi: de opif. mundi 78; de sacrificiis 17 et 130; quod deus immut. 39 et 160; de migrat. Abrah. 75; de fuga 130; de somniis 1, 181; 193; 2, 76; de vita Mosis 2, 66; de special. legg. 1, 157 et 3, 3; 3, 159; 4, 127; de virtutibus 77 et 215; quod omn. prob. liber sit 17 R.

7. In scriptis Philonis modi unico loco excepto, quo coniunctivus exstat, evanuerunt. Pro illis infinitivus principatum obtinet, qui non modo post verbum affirmativum, sed etiam post negationem ponitur, quibus locis et coniunctivi et indicativi vim usurpavit.

Nunc vero cum ad finem quaestionis pervenerimus, oportet nos breviter rem comprehendere et paucis verbis docere, quae ratio intercedat inter aetatem a nobis tractatam et antecedentem.

In carminibus Homeri et Hesiodi[1]) *πρίν* particula cum infinitivo, coniunctivo, optativo coniungitur. Infinitivus — semper est temporis aoristi[2]) — omnibus locis rationem temporalem indicat, non modo si enuntiatio primaria affirmativa est, sed etiam si negativa. Coniunctivo — semper aoristi est — *ἄν* particula non adiecta est, qui modus ut optativus semper post negationem exstat. Hic est usus epicorum. Novi aliquid affert hymnus in Apollinem Pythium, ubi uno loco adhibetur indicativus, cui negatio nondum antecedit[3]). Indicativum post negationem primus Pindarus praebet[4]). Praeterea syntaxis lyricorum eo insignis est, quod bis coniunctivo *ἄν* particula adiecta est[5]). Apud Pindarum *πρίν* semel praepositionis instar cum genetivo substantivi coniuncta est, quae res eo notabilior est, quod *πρίν* particula praepositionis vi ornata, quoad res perquisita est, aevo posteriore praeter unum Diodori locum non ante Flavium Iosephum invenitur, qui eam sexies praebet[6]).

In fabulis poetarum scaenicorum[7]) illae res, quas lyrici novas protulerunt, magis confirmantur: infinitivus perpaucis locis exceptis adhibetur post verbum affirmativum, item coniunctivo

[1]) Cf. Sturm p. 3 sqq. et 42 sqq. praeterea R. Foerster l. l. F. R. Richter, de particulis *πρίν* et *πάρος* earumque usu Homerico diss. Lips. 1874 et Quaestiones Homericae I. progr. Chemnitz 1876. I. Frenzel, die Entwicklung der Sätze mit *πρίν*, Wongrowitz 1896. I. A. Heikel, Über die Entstehung der Konstruktionen bei *πρίν*, Skand. Arch. 1891 p. 274. W. Füisting, der Modus nach *πρίν*, Münster 1849 prgr.

[2]) Tres sunt loci qui praebent infinitivum praesentis, sed sunt verba, quorum aoristus non in usu fuit. Cf. Sturm p. 42.

[3]) Sturm p. 49.

[4]) Ibid. p. 59.

[5]) Ibid. 57.

[6]) Cf. Wilhelm Schmidt, de Flavii Iosephi elocutione observationes criticae, Annal. Fleckeisen. Suppl. 20, 395. Praeter eum adhibent *πρίν* hac significatione Plutarchus semel, Arrianus semel, Sextus Empiricus decies sexies.

[7]) Cf. Sturm p. 60 et Oswald Prause, de particulae *πρίν* usu tragico et Aristophaneo, Halis 1876.

ἄν vocula additur. Praeterea hic primum infinitivus perfecti invenitur.

Nunc ad prosaicos venimus, quorum qualis sit usus stabilire maxime nostra interest. Ionici et Attici segregandi sunt. Memorabile est illos [1]) scriptores πρὶν ἤ quoque formam adhibuisse; nam haec forma, quae in scriptis Atticorum nonnullis saltem locis tradita est, a scriptoribus aevi posterioris usurpata iuxta πρίν locum obtinuit. Apparet ex hac quoque re, quantum dialectus ionica in κοινῇ valuerit. Infinitivus aoristi et praesentis — is iam apud scaenicos iuniores floruit; significat actionem durare vel iterari — maximam partem post verbum affirmativum adhibetur et tribus illis locis, quibus negatio antecedit, meram temporis determinationem continet. Indicativus semper sequitur praeteritum negativum. Ex Atticis scriptoribus syntaxis Thucydidis [2]) similior prioris est, nam indicativum admisit post verbum affirmativum et negativum. Primus coniunctivum praesentis adhibuit. Reliqui, qui sunt Xenophon [3]), Plato [4]), oratores [5]), has secuti sunt normas: indicativus semper post negationem ponitur — praecipue in formula οὐ πρότερον παύεσθαι-πρίν —, pro coniunctivo in oratione obliqua optativus adhibetur.

Nunc ad aetatem nos vertamus, quam tractavimus. Inter πρίν et πρὶν ἤ formas, quae ambae adhibentur, syntacticum discrimen non est. Auctores, quos perquisivi, in duas partes possunt dividi: alii infinitivo principatum concedunt, alii modos servaverunt. Optativus sane nusquam invenitur, quoniam aetate hellenistica paene evanuit. Diodorus Siculus et Strabo omnium severissime regulis classicis sese obstrinxerunt. Alteri parti inserendi sunt Polybius, Dionysius, Philo — Philodemus proprietates non praebet —. Mirum est inter hos esse Dionysium, quippe qui in atticistis, quos vocamus, numeretur. Hi scriptores

[1]) Foerster, de usu particulae πρίν qualis apud Ionicos scriptores fuerit. Miscell. semin. lat. Vrat. 1865, 1—7 et Sturm p. 73.

[2]) Wagner, de usu particulae πρίν Thucydideo et Xenophonteo, Rostock-Schwerin 1879. Sturm p. 89.

[3]) Wagner l. c.

[4]) Sturm p. 126.

[5]) C. Lüth, de usu particulae πρίν qualis apud oratores atticos fuerit. Rostock 1877.

modos quidem adhibuerunt, attamen persaepe infinitivum vi modorum exornaverunt. Ut eandem rationem diversis constructionibus significarent, dixerit quispiam clausulis et rhythmis illos esse permotos. Sed frustra talem causam quaesivi. Infinitivus loco modorum paulo post aetatem classicam usui esse coepit. Magnopere dolendum est ex libris Ephori Theopompi aliorum nihil fere exstare, quo certius iudicare possimus de *πρίν* particulae usu. Polybius et Dionysius ut iam Ephorus et Theopompus infinitivum ratione condicionali instruxerunt. Philo longius progressus infinitivum pro indicativo adhibuit. Praeterea aetate quam tractavimus infinitivus praesentis non modo actionem durantem vel iterativam, sed etiam ingressivam indicat, ut apud Polybium, Diodorum, Dionysium, Philonem. Inter tempora infinitivi eadem ratio intercedit quae aetate classica: longe saepissime adhibetur aoristus, multo rarius praesens, nonnullis locis perfectum. Coniunctivus semper aoristi est.

πρίν adverbium semel apud Dionysium (Ant. 8, 65, 5), semel apud Philonem (de opificio mundi 114), bis apud Philodemum invenitur.

Adiecta est tabula continens conspectum constructionum.

			Coniunctivus post			Infinitivus praesentis indicat actionem				Infinitivus aoristi post verb. negat.						
											indicat rationem					
		Indicativus	πρὶν ἄν	πρὶν ἤ	πρίν	durantem	iterativam	ingressivam	Infinitivus perfecti	post verbum affirmativum	temporalem	condicionalem	pro indicativo	adverbium	Sa.	Sa.
Ephorus	πρὶν ἤ	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	1	—	—	—	1
Theopompus	πρίν	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	1	—	—	—	1
Hellenica Oxyrhynch.	πρίν	—	—	—	—	—	—	—	—	1	—	—	—	—	—	1
Agatharchides	πρίν	—	—	—	—	—	—	—	—	—	1	—	—	—	—	1
Polybius	πρίν	—	—	—	—	—	1	1 [1]	1	2	—	—	—	—	5	26
	πρὶν ἤ	1	—	—	—	—	—	—	—	12	—	8	—	—	21	
Philodemus	πρίν	—	—	—	—	1	—	—	—	3	1	—	—	2 [2]	7 [2]	8+1
	πρὶν ἤ	—	—	—	—	1	—	—	—	1	—	—	—	—	2	
Diodorus [3]	πρίν	—	2	—	—	—	1	1	—	8	1	—	—	—	13	28 +1 [3]
	πρὶν ἤ	—	—	1	—	—	1	1	—	10	2	—	—	—	15	
Dionysius	πρίν	1	1	—	1	—	2	1	—	75	3	3	—	1	88	125
	πρὶν ἤ	—	—	2	—	—	—	1	1	28	4	1	—	—	37	
Strabo	πρίν	1	2	—	1	—	—	—	1	17	1	1	—	—	24	37
	πρὶν ἤ	4	—	—	—	2	—	—	1	6	—	—	—	—	13	
Philo	πρίν	—	1	—	—	1	2	3	2	45	4	10	7	1	76	85
	πρὶν ἤ	—	—	—	—	—	1	—	—	3	2	1	2	—	9	

[1] Post negationem.
[2] Semel in epigrammatis.
[3] Semel praepositionis loco.

Conspectus libelli.

Vita.

Natus sum *Alexander Tschuschke* a. d. XVII kal. Iun. anni MDCCCLXXXVIII *Berolini* patre *Carolo*, matre *Elisabeth* e gente *Steuber*, quos adhuc in vico prope Dracomontium sito, cui nomen est Schmiegrode, vitam salve agere magnopere gaudeo. Fidei addictus sum evangelicae. Puer duodecim fere annorum gymnasium adii Raviscense. Vere anni MCMIX maturitatis testimonium adeptus Vratislaviam me contuli, ut studiis philologicis operam darem, ubi docuerunt me viri doctissimi:

Appel, *Baumgartner*, *Cichorius*, *Foerster*, *Gercke*, *Herrmann*, *Hoenigswald*, *Hoennicke*, *Kautzsch*, *Koch*, *Rigal*, *Scheer*, *Schrader*, *Skutsch* †, *Stern*, *Wobbermin*, *Ziegler*.

Exercitationibus proseminarii philologici interfui duo semestria. Tria semestria sodalis fui ordinarius seminarii philologici *Foerstero*, *Gerckio*, *Skutschio* † moderantibus. Ad societatem Graecam aditum mihi praebuit *Gercke*, ad seminarium historicum *Cichorius*. Quibus omnibus gratias ago quam maximas, inprimis *Richardo Foerster*, qui ut hanc scriberem dissertationem me admonuit semperque iuvit consilio et opera.